

## LECTORI.

---

AESCHYLOM nostrum brevi temporis intervallo secutus est EURIPIDES, poeta minus grandiloquus, veruntamen judice Aristotele *τραγικώτατος τῶν ποιητῶν*, et omnium consensu humani affectus plenissimus, humanae indolis peritissimus ac fidelissimus indagator. Qui si nostro quidem seculo minorem quam Aeschylus et Sophocles laudem tulit, id partim inquis ejus conviciatoribus, Aristophanis derisu inconsiderate abutentibus, tribuendum, partim perversae quae apud multos obtinuit de vera tragoediae natura sententiae; partim, nisi fallor, causae per se satis levi, verum haud plane contemnendae, bonarum scilicet editionum inopiae, cum plerumque aut singulae vendantur fabulae, aut satis grandi fasciculo omnes quae supersunt contineantur tragoediae. Huc accedit, quod nonnullae ex iis usque ad hoc tempus tantis corruptelis deformes remanserint, ut vix cum bono fructu a tironibus legi possint.

Euripidem multos hodie minus probare ut re certissimum, ita causa ejusmodi est, quae argumentis expugnari vix possit. Fuit enim tempus, nisi omnia nos fallunt auctorum testimonia, cum nondum plane evanisset aut Graecae linguae consuetudo aut Graeci ingenii elegantia, cum ceteris tragicis praelatus soli HOMERO cedebat EURIPIDES. Tu, Lector, qui mecum credas veram artis dramaticae virtutem in eo poni, ut praecipue in imitando versetur, et per imitationem rerum, quae hominibus accidere solent, animos moveat audientium, noli eo nomine culpare Euripidem, ut nimis vilia sectantem, quippe qui homines quales sunt potius quam quales esse debent depingere soleat. Etenim cum ars tragica, quicquid poetis delirare liceat, nec deos e caelo evocare nec daemonas aut heroas ex inferis excitare valeat, ea cur in rebus extra sensum nostrum positis potius quam in communibus et vulgaribus, hoc est, in rebus humanis, exerceri debeat, dicant, si poterunt, critici; nobis id neque plane intellectum est, nec de eo facile persuaderi potest. Illud vero multo etiam minus, quod quidam fecerunt, Euripidi vitio ver-